

## **Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera**

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;  
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

**Gregor <I., Papst>**

**Lutetia Parisiorum, 1675**

Super Canticum Canticorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75090](#)

CAPITVL A LIBRI  
CANTICI CANTICORVM.

- 1 Osculetur me osculo oris sui.
- 2 Adolescentula dilexerunt te.
- 3 Posuerunt me custodem in vineis : vineam meam non custodivi.
- 4 Indica mihi quem diligit anima mea , ubi pascas , ubi cubes in meridie?
- 5 Item unde suprà.
- 6 Nisi cognoveris te , o pulchra inter mulieres , egedere , &c.
- 7 Donec rex in recubitu suo est , nardus mea dedit odorem suum.
- 8 Fulcite me floribus , & stipate me malis , quia amore languo.
- 9 Vulnerata charitate ego sum.
- 10 Læva ejus sub capite meo , & dextera illius amplexabitur me.
- 11 Ecce iste venit saliens in montibus , transiliens colles.
- 12 En ipse stat post parietem nostrum , respi- ciebus per fenestras , prospiciens per cancellos.
- 13 Surge , propera , amica mea , formosa mea , &c.
- 14 In lectulo meo per noctem quæsvi illum , & non inveni.
- 15 Quæsvi illum , & non inveni : invenerunt me vigiles , qui custodiunt civitatem .  
Num quem , &c.
- 16 Item unde suprà.
- 17 Item unde suprà.
- 18 Item unde suprà.
- 19 Item unde suprà.
- 20 Item unde suprà.
- 21 Quæ est ista , qua ascendit per desertum , sicut virgula fumi ex aromatibus myrræ , &c.
- 22 Omnes tenentes gladios , & ad bella do- cisti mihi.
- 23 Uniuscujusque ensis super famur suum , pro- pter timores nocturnos.
- 24 Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani , &c.
- 25 Dentes tui sicut greges detonarum , ascen- dentium de laverio.
- 26 Sicut vitta coccinea labia tua , & eloquium tuum dulce.
- 27 Duo ubera tua , sicut duo binnuli capreæ gemelli , qui pascuntur in liliis , donec aspi- ret dies , & inclinentur umbra.
- 28 Coronaberis de capite Amana , & de ver- tice Sanir , &c.
- 29 Meliora ubera tua vino.
- 30 Mel & lac sub lingua tua.
- 31 Surge Aquilo , & veni Auster , perfla hor- tum meum , & fluent aromata illius.
- 32 Ego dormio , & cor meum vigilat.
- 33 Item unde suprà.
- 34 Dilectus meus misit manum suam per foramen , & venter meus intremuit ad tactum illius.

- A 35 Anima mea liquefacta est , ut locutus est.  
36 Caput ejus aurum optimum.  
37 Pulchra es amica mea , suavis et decora , etc.  
38 Sicut cortex mali punici genæ tua absque occultis tuis.  
39 Quæ est ista , quæ progreditur quasi aurora consurgens ?  
40 Item unde suprà.  
41 Nasus tuus sicut turris , que est in Liba- no.  
42 Item unde suprà.  
43 Manè surgamus ad vineas , videamus si floruit vinea , si flores fructus parturiunt.  
B 44 Quæ est ista , quæ ascendit dealbata?  
45 Pone me sicut signaculum super cor tuum.  
46 Fortis est ut mors dilectio.  
47 Soror nostra parvula est , et ubera non habet.  
48 Quæ habitas in hortis amici , ausculta : fac me audire vocem tuam.  
49 Fuge , dilecte mi , fuge.

INCIPIT EXPOSITIO  
SUPER CANTICVM CANTICORVM.

## CAPUT I.

Osculetur me osculo oris sui.

Cant. 1. 4



ANCTA Ecclesia quot præcepta ex ejus In exp. B. prædicatione cognovit , quasi tot oris lib. iug. ejus oscula accepit . Osculum recte 10. Conditoris sui desiderat , quæ se ei obsequi per amorem parat.

## CAPUT II.

Adolescentula dilexerunt te.

Cant. 1. 4

Scriptura enim sacra saepe adolescentiam pro no- vitate vitæ ponere conuevit . Unde venienti spon- so dicitur : Adolescentula dilexerunt te , id est , electorum animæ gratiâ baptismati renovatae : quæ non vita veteris usu deficiunt , sed novi hominis conver- satione decorantur.

## CAPUT III.

Posuerunt me custodem in vineis : vineam Canti. 1. 5 meam non custodivit.

E VInæ quippe , nostræ actiones sunt , quas usu quotidiani laboris excolumus . Sed custodes in Evangel. vineis politi , nostram vineam minimè custodimus , longiora quia dum extraneis actionibus implicamur , ministe- rium actionis nostræ negligimus .

## CAPUT IV.

Indica mihi , quem diligit anima mea , ubi Cant. 1. 5 pascas , ubi cubes in meridie.

C Errorum quippe hinnulus , Dominus appella- Hom. 11. in tur , juxta assumptam carnem , antiquorum si Euang. lius patrum . Ferventior vero in meridie aestus ac- post. med.

descit, & umbrosum locum hinnulus querit, quem aëstus igne non afficit. In illis ergo cordibus Dominus requiescit, quia amor præsentis sæculi non incendit, quia carnis desideria non exurunt, quia incensio suis anxietatibus in hujus mundi concupiscentiis non arescant. Umbrosa ergo loca in meridie ad pascendum hinnulus querit, quia talibus mentibus Dominus pascitur, quæ per respectum gratia temperata, corporalibus desideriis non uruntur.

## CAPUT V.

Item unde supra.

*In expos. B.* **P**ascitur quippe Dominus, cùm bonis nostris ac-tibus delectatur. Cubat verò in meridie, cùm ex desideriis carnibus ardenti corde reproborum, apud electorum suorum pectora refrigerium invenit cogitationis bona.

## CAPUT VI.

*Cant. 1. c* **N**isi cognoveris te, ô pulchra inter mulieres; egredere & abi post vestigia gregum, & pase haedos tuos.

*In expos. B.* **I**DEST, nisi honorem tuum, quo ad similitudinem Dei condita, bene vivendo cognoveris, à conspectu meæ contemplationis egredere, & imperitorum vitam imitare populorum. Semetipsum namque ea, quæ est inter mulieres pulchra, cognoscit, quando ei & a quæque anima etiam inter peccantes posita, quod ad Auctoris sui imaginem ac similitudinem sit condita, meminit: & juxta percepta similitudinis ordinem inedit. Qua si se non cognoscit, egreditur: quia à secreto sui cordis expulsa, in exterioribus concupiscentiis dissipatur. Egressa verò abi post vestigia gregum, quia sua interna descrens, ad laram videlicet viam ducitur, & sequitur exempla populorum. Nec jam agnos, sed haedos pacit: quia non innoxias cogitationes mentis, sed nutritre pravos motus carnis intendit.

## CAPUT VII.

*Cant. 1. c* **D**onec Rex in recubitu suo est, nardus mea dedit odorem suum.

*In expos. B.* **A**CSI aperè dicat: Quousque meis obtutibus rex apud se in regie secreti celesti abscondetur, electorum vita miris virtutum odoribus exercetur, ut quod adhuc eum quem apperit, non vider, ardenti per desiderium flagret. Rege quippe in recubitu suo positio, nardus odorem dat, dum quiete in sua beatitudine Domino, Sanctorum virtus in Ecclesia magnæ nobis gratiam suavitatis administrat.

## CAPUT VIII.

*Cant. 2. a* **F**ulcite me floribus, & stipate me malis: quia amore langueo.

*Hom. 15. in Ezech. 10.* **Q**uid namque sunt flores, nisi animæ bonum jam opus inchoantes, & desiderium caeleste regop prim. dolentes? Quid mala de floribus, nisi perfecta jam bonorum mentes, quæ ad fructum pervenient boni operis, de initio sanctæ propositionis? Quia ergo amore languet, fulciri querit floribus, stipari malis: quia si illum, quem desiderat videre, adhuc non permittitur, magna ei est confortatio, si de aliorum profectibus lætetur. Anima ergo sanctæ amore languida, floribus, malsisque fulciatur, ut requiescat

A in bono opere proximi, quæ adhuc contemplari non valet vultum Dei.

## CAPUT IX.

Vulnerata charitate ego sum.

*Cant. 2. a*

**M**ALè enim sana anima, atque in hujus exilij *In expos. B.* *lub. 1. 6. c. 14.* *circ. med.* *Idem locus explicatur hom. 15. in Ezech. longè post princ.* secuitate prostrata, nec videbat Dominum, nec videri requirebat à Domino. Percussa autem charitatis ejus spiculis, vulneratur in intimis affectu pietatis, ardet desiderio contemplationis. Et miro modo vivificatur ex vulnere, quæ prius mortua jacebat in salute. Aestuat, anhelat, etiam vide-re desiderat quem fugiebat. Percussione ergo ad salutem reducitur, quæ ad securitatem quietis intima, amoris sui perturbatione revocatur. Sed cùm sauciata mens anhelare in Deo cooperit, cùm cuncta mundi hujus blandimenta despiciens, ad supernam se patriam per desiderium tendit, ad tentationem ei protinus vertitur, quidquid amicum prius in sæculo, blandumque putabatur. Nam qui peccantem amare conふerant, recte viventem crudeliter impugnant, & rectus in Deo animus carnis sue bella tolerat, in qua prius virtutis serviens delectabiliter jacebat. Volutates præfæ ad memoriam redeunt, & contradicente mentem gravi certamine affligunt. Sed dum transitorio labore atterimur, à perpetuo dolore liberamur.

## CAPUT X.

*Læva ejus sub capite meo, & dextera illius* *Cant. 2. a* *amplexabitur me.*

**S**inistram Dei, prosperitatem videlicet vita præ-sentis, quasi sub capite posuit, quam intentione summi amoris premis. Dextera verò Dei eam amplectitur, quia sub aeterna ejus beatitudine tota devotione continetur.

## CAPUT XI.

*Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* *Cant. 2. b*

**C**onsideravit namque tantorum operum culmina, & ait: *Ecce iste venit saliens in montibus.* Veniendo quippe ad redemptionem nostram, quodam, ut ita dixerim, saltus dedit. De celo venit in uterum, de utero venit in præsepe, de præsepe venit in crucem, de cruce venit in sepulcrum, de sepulcro rediit in cælum. Ecce, ut nos post se currere faceret, quodam pro nobis saltus manifestata per carnem Veritas dedit.

## CAPUT XII.

*En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, propiciens per cancellos.* *Cant. 2. b*

**Q**ui enim humanis oculis hoc, quod de mortali *Hom. 13. in Ezec. long.* natura assumptum, ostendit, & in ipso invisibilis permanxit, in aperto se videre querentibus, quasi post parietem stetit: quia videndum se manifesta majestate non præbit. Quasi enim post parietem stetit, qui humanitatis naturam, quam assumptum, ostendit, & divinitatis naturam humanis oculis occultavit. Unde & illic subditur: *Respiciens per fenestras, propiciens per cancellos.* Quiquis enim per fenestras, vel per cancellos respicit, nec totus latet, nec totus videtur. Sic nimurum Redemptor noster ante cubitum oculos factus est; quia si miracula faciens nil pertulisset, ut homo, plenè eis apparuerisset Deus: & rursum humana patiens, si nulla fe-

cister, ut Deus, putaretur purus homo. Sed quia & divina fecit, & humana pertulit, quasi per fenestras, vel per cancellos ad homines prospexit, ut Deus & appareret ex miraculis, & lateret ex passionibus; & homo cerneretur ex passionibus, sed tamen esse ultra homines ex miraculis agnosceretur.

## CAPUT XIII.

*Cant. 2. b* Surge, propera, amica mea, formosa mea, et veni: jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit.

*In expos. B. 1ob. l. 27. c. 14. in fin.* T Ransunte hieme, imber recedit: quia cum vita praesens peragitur, in qua nos ignorantia nubilo carnis corruptibilis torpor astrinxerat, omnne ministerium prædicationis cessat. Clarius quippe per nos tunc videbimus hoc quod sanctorum nunc vocibus obscurius audimus.

## CAPUT XIV.

*Cant. 3. a* In lectulo meo per noctem quæsivi illum, et non inveni.

*In expos. B. 1ob. l. 8. c. 13. in princ.* N IN lectulo quippe, & per noctem dilectus queritur; quia nimis invisibilis Conditoris species repressa omni corporeæ visionis imagine, in cubili cordis invenitur.

## CAPUT XV.

*Cant. 3. a* Quæsivi illum, & non inveni. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem: Num quem diligit anima mea, vidisti? Cum paululum pertransiſſem eos, inveni quem diligit anima mea.

*Hom. 25. in Evang. ac liquante post princ.* D ilectum in lectulo querimus, quando in præsenti vita aliquantula requie, Redemptoris nostri desiderio suspiramus. Per noctem querimus: quia eis iam in illo mens vigilat, tamen adhuc oculi caligat. Sed qui dilectum suum non invenit, restat ut furgat, & civitatem circumeat, id est, sanctam electorum Ecclesiam mente & inquisitione percurrat. Per vicos cum & in plateis querat, id est, per angusta & lata gradientes apicem, ut si qua invenire in eis valeat, ejus vestigia exquirat: quia sunt nonnulli etiam vite sæcularis, qui imitandum aliquid habeant de actione virtutis. Quærentes autem nos vigiles inveniunt, qui custodiunt civitatem: quia sancti Patres, qui Ecclesiæ statum custodiunt, bonis nostris studiis occurunt, ut suo vel verbo, vel scripto nos doceant. Quos cum paululum pertransimus, invenimus quem diligimus: quia Redemptor noster, eis humiliatus homo inter homines, divinitate tamen super homines fuit. Cum ergo transeuntur vigiles, dilectus invenitur: quia cum Prophetas & Apostolos infra ipsum esse conspicimus; illum, qui naturâ Deus est, esse supra homines consideramus. Prius ergo non inveniendum queritur, ut post inventus, strictius teneatur.

## CAPUT XVI.

Item unde supra.

*In expos. B. 1ob. l. 17. c. 1. post med.* D ilectus in lectulo per noctes quæritur, quia intra secreta cordis cubilia, in tribulatione spiritus desideratur. Quem tamen quærens sponsa non invenit: quia electa quæque anima jam quidem

A amoris ejus facibus flagrat, sed adhuc quæsiti negotiatur species, ut amantis desiderium crescat. Et quasi in siti aqua subtrahitur, ut ejusdem sitis aestus augatur: & quod hanc diutius sitiens desiderat, eò quandoque, cum invenierit, avidius sumat. Sed hanc quærentem vigiles inveniunt, eamque vulnerant, & ejus pallium tollunt: quia unamquamque animam Redemptoris sui jam speciem requirent, cum solliciti doctores inveniunt, hanc per prædicationis verbum cælestis amoris spiculis vulnerant. Et si quod ei adhuc de veruista conversatione tegmen ineft, subtrahunt: ut quod exuta ab hujus mundione redditur, eò, is, qui quæritur, ab illa citius inventiatur.

## CAPUT XVII.

Item unde supra.

I N lectulo enim dilectum querit, quando in ipso *Hom. 19. in fin.* fluo otio, & vacatione, quam appetit, jam vide *Ezch. circam.* anima Dominum concupiscit, jam ad eum exire desiderat, jam carere præsentis vitæ tenebris anhelat. Sed querit illum, & non invenit: quia quamvis magno amore desideret, adhuc tamen ei videre non conceditur, quem amat.

## CAPUT XVIII.

Item unde supra.

*C* A biscondit se sponsus cum queritur, ut non in *In exp. B. 1ob. l. 18. c. 4.* ventus ardentiū queratur: & differtur quærens sponsa, ne inveniat, ut tarditate sua capacior reddit, multiplicitus quandoque inveniat quod querat.

## CAPUT XIX.

Item unde supra.

*Q* Uos vigiles qui civitatem custodiunt, nisi prior. *In exp. B. 1ob. l. 18. c. 4.* res Patres vel Prophetas accipimus, qui studiunt ad custodiā nostrā sanctæ prædicationis vocem vigilare? Sed cum Redemptorem suum Ecclesia quereret, in ipsis antiquis prædicatoribus spem figure noluit, quæ dicit: Paululum cum pertransiſſem eos, inveni quem diligit anima mea. Itum quippe inveniri non potuisset, si istos pertransire noluisse. In istis se custodibus infideles fixerant, qui Christum Dei filium unum quemlibet eis illorum credebat. Voce igitur ac fide Petri inventos vigiles, sancta Ecclesia transit, que Prophetarum Dominum unum quemlibet ex Prophetis credere contemplit.

## CAPUT XX.

Item unde supra.

*P* Aululum cum pertransiſſem eos, inveni quem dilit *In exp. B. 1ob. l. 17. c. 1. vers. fin.* anima mea: Quia visionis ejus mens avida nisi Prophetarum estimationem, nisi Patriarcharum celstitudinem, nisi cunctorum hominum mensuram transcenderet, eum, qui est super homines, non inveniret. Transire ergo vigiles, est etiam eos, quos miratur anima, in ejus comparatione postponere: & tunc is, qui quærebatur, cernitur, si homo quidem, sed tamen extra mensuras hominum creditur.

## CAPUT XXI.

Cant. 3. c Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, si  
cūt virgula fumi ex aromatibus myrræ,  
& thuris, & universi pulveris pigmentarij?

In exp. B. Sancta Ecclesia sicut fumi virgula ex aromatibus  
tob. 1. i. c. 20 ascendit, qui ex vita sua virtutibus in interni  
eterni quotidiani rectitudinem proficit, nec sparsa  
per cogitationes defluat, sed se intra arcana cordis in rigoris virga constringit. Quæ ea quæ agit, dum recognoscere semper ac retrahere non desinit, myrram quidem & thus habet in opere, sed pul-  
verem in cogitatione.

## CAPUT XXII.

Cant. 3. c Omnes tenentes gladios, & ad bella docti-  
fimi.

In exp. B. Quid in divina Scriptura per gladium figuretur,  
tob. 1. i. c. 20. v. 19. c. fin. Paulus aperuit dicens: Et gladium spiritus,  
quod est verbum Dei. Salomon autem non ait: Omnes habent gladios, sed tenentes: quia videlicet  
verbum Dei non est mirabile solummodo scire, sed facere. Habet quippe, sed non tenet gladium, qui  
divinum quidem eloquium novit, sed secundum illud vivere negligit: & doctus esse ad bella jam non  
vellet, qui spiritualem, quem habet, gladium minime exercet. Nam resistere tentationibus omnino  
non sufficit, qui hunc verbi Dei tenere gladium  
male vivendo postponit.

## CAPUT XXIII.

Cant. 3. c Vniuersusque ensis super fixum suum propter  
timores nocturnos.

In exp. B. Nocturni quippe timores sunt infidiae tentatio-  
nis occultæ. Ensis autem super fænum, est cu-  
lante med. stodia vigilans, carnis illecebras premens. Ne ergo  
eadem re-  
pertur.  
p. 3. in med. nocturnus timor, id est, occulta & repentina ten-  
tatio subrepit, semper necesse est, ut fænum no-  
strum superpositus custodiat ensis premat. Sancti  
Psal. 2. etenim viri sic de spe certi sunt, ut tamen semper  
sint de tentatione suscepisti: quippe quibus dicitur:  
Servite Domino in timore, & exultate ei cum tre-  
more.

## CAPUT XXIV.

Cant. 3. d Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis  
Libani. Columnas ejus fecit argenteas, re-  
clinatorium aureum, ascensum purpureum  
media charitate constravit propter filias  
Hierusalem.

Hom. 15.  
super Eze. 1. 20. c. in med. N equae enim credendum est, Salomonem tantæ  
magnitudinis regem, qui sic immensis divitiis  
affluabar, ut pondus auri ejus estimari non posset,  
& argentum in diebus illis pretium non haberet,  
quia ferculum sibi ligneum fecit. Sed est Salomon,  
videlicet pacificus noster, qui sibi de lignis Libani  
ferculum fecit. Libani quippe ligna cedarina valde  
sunt imputribilia. Ferculum itaque regis nostri san-  
cta Ecclesia est, quæ de fortibus patribus, id est, de  
imputribilibus mentibus est constructa. Quæ recte  
ferculum dicitur: quia ipsa fert quotidie animas ad  
æternum convivium Conditoris sui. Cui ferculo col-  
lumna argentea factæ sunt: quia prædicatores Ec-  
S. Greg. Tom. III.

A clestæ sanctæ, eloquij luce resplendent. Est autem  
cum columnis argenteis reclinatorium aureum,  
quia per hoc quod à sanctis prædicatoribus lucide  
dicitur, mentes audientium fulgorem claritatis ani-  
mæ, in qua reclinentur, inveniunt. Per hoc enim  
quod luculentè & aperte audiunt, in illud, quod clarescit, in corde requiescent. Columnæ ejus ar-  
gentæ, & reclinatorium aureum factum est: quia per lucem sermonis invenitur apud animum claritas  
quietis. Illius jam quippe fulgor internus mentem  
irradiat, ut per intentionem ibi requiescat, ubi  
prædicationis gratia non quærebatur. Sed ad hoc,  
quod clarum intus ostenditur, qualis sit ascensus  
adjungit, cum de eodem ferculo protinus subdit:  
Ascensum purpureum. Vera quippe purpura, quia  
de sanguine tingitur, non immergit in colore fan-  
guinis videtur: quia maxima multitudo fidelium in  
exordio nascentis Ecclesie per martyrij sanguinem  
pervenit ad regnum. Rex noster ascensum purpu-  
reum fecit in ferculo, quia ad clarum, quod intus  
aspicitur, per tribulationem sanguinis pervenitur.  
Quid ergo nos miseris, atque ab omni fortitudine  
destituti, quid acturi sumus? Ecce in hoc ferculo  
columnæ esse non possumus: quia in nobis nec forti-  
tud operis, nec lumen emicat prædicationis. Re-  
clinatorium aureum non habemus, quia necdum,  
sicut oportet, per intellectum, spiritualem requiem  
internæ claritatis aspicimus. Ascensus purpureus  
non sumus: quia pro Redemptore nostro fundere  
sanguinem non valemus. Quid ergo de nobis agen-  
dum est? quæ spes erit, si nullus ad regnum perve-  
nit, nisi qui summis præditis virtutibus fuerit? Sed  
adest quoque nostra consolatio. Amemus, in quantum  
possimus, Deum; diligamus proximum, &  
simil quoque nos ad Dei ferculum festinemos: quia  
sicut illuc scriptum est, Media charitate constravit.  
Habe quippe charitatem, & ibi sine dubio perti-  
nes, ubi & columna argentea erigitur, & ascensus  
purpureus tenetur. Tamen quia hoc propter no-  
stram infirmitatem dicitur, aperte monstratur,  
cum illuc protinus subditur: Propter filias Hierusa-  
lem. Sermo etenim Dei, qui non filios, sed filias  
dicit, quid aliud per sexum fæmineum, quam men-  
tium infirma signavit? Quod ergo illuc inter colum-  
nas argenteas reclinatorium aureum, & ascensum  
purpureum inesse media charitas dicitur, propter fil-  
ias Hierusalem, hoc hinc inter thalamos per quin-  
que cubitos designatur: quia & qui in virtutibus in-  
firmantur, si ipsi bona quæ possunt facere cum cha-  
ritate non negligunt, à Dei adestio alieni non sunt.

## CAPUT XXV.

Dentes tui sicut greges detonsarum ascenden-  
tium de lavacro. Cant. 4. a

N on immergit Sancti detonsis ac lotis ovibus  
comparantur, quia innocuam vitam sumen-  
tes, in lavacro baptismatis, conversationis pristinæ  
vellera vetusta posuerunt. In exp. B. tob. 1. 33. c. 23. ante med.

## CAPUT XXVI.

Sicut vitta coccinea labia tua, & loquium  
tuum dulce. Cant. 4. a

V itta quippe crines capitis astringit. Labia ergo  
sponæ sicut vitta sunt: quia exhortatione lan-  
cta Ecclesiæ, cunctæ in auditorum mentibus diffu-  
sa cogitationes ligantur; ne amissæ defluant, ne se  
se per illicita spargant, ne sparsæ cordis oculos de-  
primant, sed quasi ad unam se intentionem colligant,  
dum vitta eas sanctæ prædicationis ligat.

Ccc

Ecccl. 9.

Quam recte & coccineam afferit: quia sanctorum A  
prædicatio solo charitatis ardore flammescit. Quid  
vero per caput, nisi ea quæ principale uniuscujus  
que actionis est, mens ipsa signatur? ut & aliæ dic-  
tum: *Et oleum de capite tuo non deficit. Oleum qui-  
pe in capite, est charitas in mente: & à capite oleum  
non deficit, cùm charitas à mente non dificit.*

## CAPUT XXVII.

Cant. 4. b *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreae ge-  
melli, qui pascuntur in liliis, donec aspi-  
ret dies, & inclinentur umbra.*

In expof. B. **Q**uae sunt duo ubera, nisi ex Judæa & Gentilitate  
veniens uterque populus, qui in sanctæ Eccle-  
ſiae corpore per intentionem sapientiæ areano est cor-  
dis infixus? Ex quo populo hi, qui electi sunt, idcirco  
capreae hinnulis comparantur, quia per humilitatem  
quidam parvus sele ac peccatores intelligunt, sed eis  
per charitatem currentibus, si qua obſtagula de impe-  
dimento temporalitatis obviant, tranſeunt: & datis  
contemplationum ſaltibus, ad superna conſendunt:  
quia ut hæc agant, præcedentium Sanctorum exem-  
pla conſpiciunt. Unde & in liliis paſci referuntur.  
Quid enim per lilia, niſi illorum vita declaratur, qui  
veraciter dicunt: *Christi bonus odor sumus. Deo! electi*  
ergo ut aſſequi ſumma prævalent, conſpecta odori-  
fera, & candida iuſtorum vita ſatiuantur. Jam quidem  
videtur Dominum ſitunt, jam de ejus contemplatione ſatiati charitatis aſtibus inardelunt. Sed quia in  
hac vita poſti, nequum valent, per præcedentium in-  
terim patrum exempla pascuntur. Vnde & aptè illic  
tempus de ipſo lilioſum paſtu definiunt, dum dicitur:  
*Donec aspiret dies, & inclinentur umbra.* Tamdiu  
quippe reſiſti iuſtorum exemplis indigemus, donec  
præſentis mortalitatis umbras, æternō die aspirante,  
transcamus. Cùm enim hujus temporalitatis umbra  
tranſaſta ac mortalitate fuerit inclinata: quia ipſius  
dici internum lumina cernimus, nequaquam jam ap-  
petimus, ut ad amorem ejus per aliorum exempla fla-  
gremus. Nunc autem, quia nequum eum intueri poſ-  
ſumus, ſummoperè neceſſe eſt, ut eorum, qui illum  
perfekte ſecuti ſunt, conſpectis actionibus incitemur.  
Intucamus ergo quām pulchra eſt agilitas ſequen-  
tium, & videamus quām turpis hebetudo pigrorum.  
Statim namque ut bene agentium gemitu relipicimus, D  
nosmetipſos, confuſione intima ulcifcente judica-  
mus. Mox verecundia mentem concutit, mox iuſte  
ſæviens reatus addicit, & vehementer hoc etiam diſ-  
plicet, quod adhuc fortaffe turpiter liber.

2d Cor. 2.

## CAPUT XXVIII.

Cant. 4. b *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanit, &  
Hermon, de cubilibus leonum.*

In expof. B. **Q**uid aliud leonum nomine, quām dæmonia fi-  
lob. 1. 17. c. gnantur, quæ ira contra nos atrocissimæ crude-  
20. circa fi. litatis inserviant? quia & peccatores ad fidem vocati  
ſunt, quorum corda leonum cubilibus fuerunt, dum vi-  
cisse mortem Dominus eorum confessione creditur,  
quasi de leonum cubilibus coronatur. Remuneratio E  
quippe victoriarum corona eſt. Toties ergo ei coronam  
fideles offerunt, quoties hunc vicisse mortem ex re-  
ſurrectione conſentuntur.

Cant. 4. c

## CAPUT XXIX.

*Meliora ubera tua vino.*

In expof. B. **U**bera ſunt, quæ in arca pectoris fixa, laeti nos  
lob. 1. 30. c. potant: quia Prædictores arcans ſumma  
10. circa fi. contemplationis inhærentes, ſubtili prædicatione  
nos nutrunt.

## CAPUT XXX.

*Mel & lac ſub lingua tua.*

Cant. 4. c

**S**icut plerique iuſtorum, cùm quodam agere per-  
verſe conſpiciunt, qui duris ſunt increpationibus  
feriendi, in lingua asperitatem ſumunt, ſed ſub lingua  
mentis ſuæ benignitatem contingunt. Vnde & ſan-  
cta Ecclesiæ ſponsi voce dicitur: *Mel & lac ſub lin-  
guia tua.* Qui enim mentis ſuæ dulcedinem aperire  
infirmis nolunt, ſed loquentes quadam eos asperitate  
feriunt, & tamen inter verba aspera quafatenter  
quiddam dulcedinis intermittunt, hi videlicet non in  
lingua, ſed ſub lingua habent dulcedinem: quia in-  
ter dura, quæ proferunt, emittunt quodam blanda,  
& dulcia, quibus conſtrati mens poſſit ex benigni-  
tate refoveri. Ita perversi quique, quia malum non in  
lingua, ſed ſub lingua habent, sermonibus dulcia præ-  
tendent, & cogitationibus perversa moluntur.

## CAPUT XXXI.

*Surge Aquilo, & veni Auster: perſta hortum meum, Cant. 4. d.  
& fluant aromata illius.*

**Q**uid nomine Auster, niſi fervor ſancti Spiritus In expof. B.  
designatur: quo dum repletus quiske fuerit, ad 10b. 3. 6.  
amorem patriæ ſpiritualis ignescit. Vnde & ſponsi vo- 10b. 3. 6.  
ce in Canticorum Canticis dicitur: *Surge Aquilo, &  
veni Auster: perſta hortum meum, & fluant aromata illius.* Auster quippe veniente, Aquilo ſurgens recedit,  
C cùm adventu ſancti Spiritus expulſus antiquus ho-  
ſtis, qui in torpore menteſt conſtrinxerat, deferit. At-  
que hortum ſponsi Auster perſtat, ut aroma de-  
fluant: quia nimis dum ſanctam Ecclesiæ dono-  
rum fuorum virtutibus Spiritus veritatis impleverit,  
ab elongate que odores boni operis ſpargit.

## CAPUT XXXII.

*Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Cant. 4. d

**S**cindunt eſt quodam in ſacra ſcriptura tribus modis Di homi  
ſomnus accipitur. Aliquando ſomno mors carnis, tribus mo-  
aliquando torpor negligentia, aliquando calcatis di in ſom-  
terrenis deſideris quies vita exprimitur. Somni ptona ſom-  
namque vel dormitionis nomine, carnis mors inti- 10c. 8.  
matur, ſicut Paulus ait: *Nolo vos ignorare, fratres, de 10b. 3. 6.  
dormientibus.* Et paulo pōſt: *Ita & Deus eos qui dor- 1. Thes. 4.  
mierunt per Iesum, adducet cum eo.* Somno rufus tor- 1. Thes. 4.  
por negligentia deſignatur, ſicut ab eodem Paulo di- 1. Rom. 13.  
citur: *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere.* Et rufum: 1. Cor. 13.  
*Evigilate iuſti, & nolite peccare.* Somno quoque calcatis carnis deſiderii: vita quies figuratur, ſicut ſponſa voce in Canticis Canticorum dicitur: *Ego dormio, & cor meum vigilat:* quia videlicet ſancta mens quod  
ſe à strepitu temporalis concupiſcentie comprimit, eò  
verius interna cognoscit: & tanto alacrius ad intima  
vigilat, quanto ſe ab exteriori inquietudine occultat.

## CAPUT XXXIII.

*Item unde ſuprà.*

**Q**ui exterioribus officiis inoffenſe deſerviunt, & In expof. B.  
ad ſecreta cordis currere inceſſabiliter curant, lob. 1. 13. 6.  
voce Dei quafit per ſomnum audiunt, dum in medita- 12. 13. 6.  
tione mentis à carnalibus moribus abſtrahuntur. med.

Hinc eſt quodam ſponsa in Canticis Canticis ait: *Ego dor-  
mio, & cor meum vigilat.* Ac ſi diceret: Dum exterior-  
es ſenſus ab hujus vite ſollicitudinibus ſopio, va-  
cante mente vivacius interna cognosco. Foris dor-  
mio, ſed intus cor vigilat: quia dum exteriora quafit  
non ſentio, interiora ſolterer apprehendo.



## CAPUT XXXIV.

*Cant. 5. b* Dilectus meus misit manum suam per foramen, & ventre meus intremuit ad tactum ejus.

*Hom. 19. in Ezec. longe ante med.* **D**ilectus manum per foramen mittit, quando virtute sua Dominus nostrum animum per subtilem intellectum pulsat. Et venter in tactu illius contremisit: quia infirmitas nostra per hoc, quod caecis gaudi intellectu tangitur, ipsa exultatione turbatur: & fit in mente pavor cum letitia: quia & si jam sentit quid de caelesti gaudio diligit, adhuc metuit, ne non pereat quod vix tenuerit sentit. Quid igitur restat, nisi ut se ad perfectioris vite cursum dirigant omnes, qui illa gaudia patriæ caelestis agnoscent.

## CAPUT XXXV.

*Animam a liquefacta est.*

*Hom. 25. in Evang. ali. quanto post prime.* **M**ens namque hominis Conditor sui speciem non querentis malè dura est: quia in semetipsa remaneat frigida: at si ardore jam ex desiderio cœperit, ad sequendum quem diligit liquefacta per ignem amoris currit.

## CAPUT XXXVI.

*Caput ejus aurum optimum.*

*In expof. B. Job. 34. c. 13. sub init.* **A**vri appellatione in sacro eloquio aliquando dicitur: vinitatis charitas, aliquando splendor supernæ civitatis, aliquando claritas, aliquando nitor gloriae secularis, aliquando pulchritudo sanctitatis accipitur. Aut enim nomine, ipsa intima divinitatis claritas designatur, sicut in Canticorum Canticis sponsi species describitur: *Caput ejus aurum optimum: quia caput Christi Deus, nil verò est in metallis auro fulgentius. Sponsi caput aurum dicitur, quia ejus humanitas ex divinitatis sue nobis claritate principatur. Rursum auri nomine splendor superne civitatis accipitur, sicut hanc Joannes se vidisse testatur, dicens: ipsa civitas aurum mundum finile viro mundo. Aurum namque ex quo illa civitas constat, simile vitro dicitur, ut & per aurum clara, & per vitrum perspicua designetur. Rursusque auri nomine charitas intimatur, sicut Angelum, quem sibiloquii idem Joannes aspergit, ad mamillas zona aurea cinctum vidit: quia nimis supernorum civium pectora dum penalis jam nequaquam timori subiecta sunt, atque le vicissim nulla scissione solvantur, ex sola secharitate constringunt. Zonam verò auream circa mamillas habere, est cunctos mutabilium cogitationum motus per solius jam amoris vinculum restringere. Rursus auri nomine, nitor gloriae temporalis exprimitur, sicut per Prophetam dicitur: *Calix aureus Babylon.* Quid enim Babylonis nomine, nisi hujus mundi gloria designatur? que calix aureus dicitur: quia dum pulchra esse temporalia ostentat, stultas mentes in sua concupiscentia decebat, ut speciosa tempora appetant, & invisibilia pulchra contemnant. Hoc aureo calice prima sponte sua Eva decebriata est: de qua historia Veritas dicit: *Quia cum vetitum lignum cupi sceret, vidit quod esset pulchrum visu, aspectuque delectabile, & comedit.* Aureus ergo Babylon calix est, quia dum visum exterioris pulchritudinis ostendit, sensum internæ rectitudinis subtrahit. Rursum auri nomine, splendor sanctitatis accipitur. Sicut Iudaicum populum à splendore justitiae ad inequitate tenebras commutatum Hieremias deplorat, dicens: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* Sic enim superius diximus, aurum obscuratum, cùm consequentibus iniquitatibus tenebris, justitiae pulchritudo deseritur, color optimus mutatur, cùm splendor innocentiae in fœditatem vertitur culpa.*

*Hier. 51.*

*Gen. 3.*

*Thren. 4.*

S. Greg. Tom. III.

## CAPUT XXXVII.

*Pulchra es amica mea, suavis, & decora, sicut Hierusalem: tem: terribilis ut castrorum acies ordinata.*

**Q**uia Hierusalem pacis visio interpretatur, cuius *Hom. 8. in nomine patriæ caelestis exprimitur, sancta Eccl. al. - clelia suavis & decora, ut Hierusalem dicitur: quia quanto post ejus vita & desiderium visioni jam pacis intima init. comparatur; ut in eo, quid autorem suum diligit, quid ejus speciem videre concupit, de quo terribus est: *In quem desiderant Angelis prospicere: per 1. Pet. 1.* ipsa jam amoris sui desideria Angelis similis dicatur. Quia quantum Deo amabilis efficitur, tanto agitur, ut malignis spiritibus terribilis fiat. Qualiter autem sit terribilis subiuncta comparatione ostenditur, id est, ut castrorum acies ordinata. Quid est quid sancta Ecclesia ab hostibus suis, ut castrorum acies si timenda non enim a magno intellectu vacat ista comparatio, & idcirco est subtiliter intuenda. Scimus enim, & constat, quia castrorum acies tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit constituta atque densata, ut in nullo loco interrupta videatur: nam si ita disponitur, ut locus vacuus, per quem hostis possit ingredi, dimittatur: profectò jam suis hostibus terribilis non est. Et nos ergo cum contra malignos spiritus, spiritualis certaminis aciem ponimus, summopere necesse est, ut per charitatem semper uniti atque constricti, nunquam interruptedi per discordiam inveniamur: quia si quilibet bona in nobis opera fuerint, si charitas deficit, per malum discordia locus aperitur in acie, unde ad feriendos nos hostis valeat intrare. Antiquus verò inimicus castitatem in nobis, si sine charitate fuerit, non timeret: quia ipse nec carne premitur, ut in ejus luxuria dissolvatur.*

**A**bstinentiam non timeret: quia ipse cibo non utitur, quia necessitate corporis non urgetur. Distributio nem terrenarum rerum non timeret, si eidem operi charitas defit, quia divitiarum subsidis nec ipse eget: valde autem in nobis charitatem veram, id est, amorem humilem, quem nobis vicissim impendimus, timeret; & nimis concordia nostra invidet, quia hanc nos tenemus in terra, quam ipse tenere nolens amavit in celo. Bene ergo dicitur: *Terribilis ut castrorum acies ordinata:* quia electorum multitudinem eò maligni spiritus pertinencunt, quod eos per charitatis concordiam munitos contra se & congregatos aspiciunt.

## CAPUT XXXVIII.

*Sicut cortex mali punici gena tua absque occultis tuis.* *Cant. 6. b*

**G**enæ quippe sunt luctæ Ecclesiæ spirituales pa- *Hom. 16. in*  
ges: qui nunc in ea miraculis coruscant, & velut *Ezech. in*  
in ejus facie venerabiles apparent. Cum enim vide-  
mus multos mira agere, ventura prophetare, mun-  
dum perfectè relinquere, caelestibus desideriis ardere,  
sicut cortex mali punici sanctæ genæ rubent.

## CAPUT XXXIX.

*Quae est ista, que progreditur quasi aurora consurgens?* *Cant. 6. c.*

**A**urum tenebris ad lucem iustitiae permutatur *In expof. B. Job. 1. 4. c. 14.* de hanc sponfus in Canticorum Canticis miratur, *circame-* dicens: *Quae est ista, que progreditur, quasi aurora con-  
surgens?* Quasi aurora quippe electorum surgit Ecclesia, quæ pravitatis pristina tenebras desert, & se in novi luminis fulgore convertit. In illa igitur lu-  
ce, quæ in districti judicis adventu monstratur, cor-  
pus damnati hostis ortum surgentis auroræ non vi-  
det: quia cùm districtus judex ad retributionem ve-  
nerit, iniquus quifque suorum caligine meritorum  
pressus, quanta claritate sancta Ecclesia in intimum  
lumen cordis furgat, ignorat. Tunc namque electo-  
rum mens in altum rapitur ut divinitatis radii illu-  
*Ccc. ij*

stretur, & quid ejus respectu perfunditur, eò ultra se A gratia coruscante sublevarunt. Tunc sancta Ecclesia plena aurora sit, cum mortalitatis atque ignorantiae tenebras funditus amittit. In iudicio ergo adhuc aurora est, sed in regno dies, quia eis jam cum restaurazione corporum lumen videre in iudicio inchoat, ejus tamen visum plenius in regno consummat. Orsus itaque aurora, est exordium clarecentis Ecclesie, quem videre nequeunt reprobi, quia à conspectu disticti judicis malorum suorum pondere pressi ad tenebras pertrahuntur.

## CAPUT XL.

Item unde supra.

*In exp. B.  
Tob. 1, 29 c. 2  
paulo post  
prince.*

**S**ancta Ecclesia calcis vita præmia appetens, aurora vocata est: quia dum peccatorum tenebras deserit, iustitia luce fulgescit. Habemus tamen subtilius aliquid, quod considerata qualitate diluculi, vel auroræ, pensamus. Aurora namque vel diluculum, noctem præterisse nunciant, nec tamen dici claritatem integrum ostentant: sed dum illam pellunt, hanc suscipiunt, lucem tenebris mixtam tenent. Quid itaque in hac vita omnes, qui veritatem sequimur, nisi aurora, vel diluculum sumus? Quia & quædam jam, quæ lucis sunt agimus, & tamen in quibusdam adhuc tenebrarum reliquis non caremus.

## CAPUT XLI.

Nasus tuus sicut turris, que est in Libano.

*Cant. 7, d.**In exp. B.  
Tob. 1, 11 c. 17  
pof. med.*

**Q**uid per nasum, nisi provida Sanctorum discretio designatur? Turris vero speculationis in altum ponitur ut hostis veniens a longe videatur. Rechè ergo nasus Ecclesiæ turri in Libano similis dicitur: quia Sanctorum provida discretio, dum sollicitè circumquaque conficit, in altum posita, priusquam veniat culpa, deprehendit; etiam quo vigilantiū prænotat, eò fortius declinat.

## CAPUT XLII.

Item unde supra.

*Hom. 11, in  
Eze. ali-  
quanto pof.  
prince.*

**Q**uid per nasum, nisi speculatorum discretio designatur? Qui nimurum nasus, & sicut turris est, & Libani dicitur: quia videlicet præpositorum discretio, & munera semper debet esse ex circumspectione, & in altitudine vita confistere, id est, in valle infirmi operis non jaceret. Sicut enim turris in monte, idcirco ad speculum ponitur, ut hostes, qui veniunt, longius videantur: sic predicatoris vita semper in alto debet fixa permanere, ut more narium discernat factores vitiorum, odoreisque virtutum, occursum malignorum spirituum longe proficiat; et commissas sibi animas per suam prudentiam cautas reddat.

## CAPUT XLIII.

Cant. 7, a Mane surgamus ad vineas: videamus si floruit vinea, si flores fructus parvioriunt.

*In exp. B.  
Tob. 1, 12 c.  
24. sub fin.*

**F**lorent quippe vineæ, cum mentes fidelium bona opera proponunt, sed fructus non parvioriunt, si ab eo, quod proposuerint, aliquibus vieti erroribus infirmantur. Non ergo intuendum est si vinea floreant, sed si flores ad partum fructuum convalescant: quia mitum non est, si quis bona inchoet, sed valde mirabile est, si intentione recta in bono opere perdureat. Unde fit plerumque, ut si in bono opere recta intentio non tenetur, etiam ipsum hoc opus, quod bonum creditur, amittatur.

## CAPUT XLIV.

*Quæ est ista, quæ ascendit dealbata?**Cant. 3, 4*

**U**ia enim sancta Ecclesia celestem vitam natum. *In exp. B.  
Tob. 1, 11 c.  
27. sub fin.* caliter non habet, sed superveniente spiritu, pulchritudine donorum componitur, non alba, sed dealbata memoratur.

## CAPUT XLV.

*Pone me sicut signaculum super cor tuum.**Cant. 8, 1*

**I**dcirco namque signaculum rebus ponitur, ne qua diripientium prælumptione temerentur. Sponsus *In exp. B.  
Tob. 1, 12 c. 4* ergo in corde signaculum ponitur, quando fidei ejus *sub init.* mysterium in custodia nostræ cogitationis imprimatur; ut ille infidelis servus, nimurum noster adverarius, cum signata fide corda considerat, tentando ca irrumperet non præsumat.

## CAPUT XLVI.

*Foris est ut mors dilectio.**Cant. 3,*

**S**icut mors corpus interimit, sic ab amore rerum corporalium æternæ vita charitas occidit. Nam *Hom. 11, in  
Ev. pof. præm.* quem perfectè absorberit, ad terrena foris desideria *pof. præm.* velut insensibilem reddit.

## CAPUT XLVII.

*Soror nostra parvula est, & ubera non habet.**Cant. 1, 5*

**S**ancta Ecclesia priusquam proficeret per incrementa virtutis, infirmis quibusque auditoribus prebere non potuit ubera prædicationis. Adulta vero Ecclesia dicitur, quando Dei verbo copulata, sancto repleta Spiritu, per prædicationis ministerium in filiorum conceptione fecundatur, quos exhortando parturit, convertendo parit.

## CAPUT XLVIII.

*Quæ habitat in hortis amici, auscultat: fac me audire  
vocem tuam.* *Cant. 1, 1*

**I**n hortis enim unaquæque anima habitat, quæ letiam viriditatem spei est, & bonorum operum repleta. Sicca quippe spes est hujus fæculi: quia omnia, quæ hic amantur, cum festinatione marcescent. Et Petrus nos Apostolus festinare admonet, dicens: *In hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem.* Quæ ergo jam in hortis habitat, oportet, ut sponsum tuum vocem suam audire faciat, id est, canticum bonæ prædicationis emittat, in qua ille delebetur, quem desiderat. Quia amici auscultant, videlicet omnes electi, qui ut ad cælestem patriam reviviscant, verba vita audire desiderant.

## CAPUT XLIX.

*Fuge, dilecte mi, fuge.**Cant. 8, 1*

**F**ugit nos, dicimus, quoties id, quod reminisci voluntus, memoriam non tenemus. Sancta ergo Ecclæsa postquam mortem ac resurrectionem Domini, *cir. med.* ascensionemque describit, clamat ei propheticæ plena spiritu: *Fuge, dilecte mi, fuge.* Ac si diceret: Tu, qui ex carne comprehensibilis factus es, ex divinitate tua, intelligentiam nostræ sensus excede, & in teipso nobis incomprehensibilis permane.

*Finis Expositionis super Cant. Cantic. & in Versus  
Testamentum.*